



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
praxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Decretum maximi momenti, & postremum, ex quo Indulgentiæ abrogatæ  
à veris & non abrogatis discernuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

*Pars 3. tit. 3. cap. 7. De Indulgentiis Mission. 201*  
batae facilius discerni, in quo passim plurimi dubiis maximis implicantur.

## DECRETUM.

*Delata saepius fuere ad Sacram Congregationem, Indulgentiis, Sacrisq; Reliquiis prepositam, Indulgentia quadam confecta, & omnino falsa, quae per diversas orbis Christiani partes circumferuntur, alia verò examinanda, quae adhibito studio inventa sunt vel Apocrypha, vel à Romanis Pontificibus revocata, vel nulla, quod datum iis tempus praterisset: quarum quidè plurimae, cum non facilem cognitionem habeant Christi fideles, harum rerum minus peritos fallunt, qui sp: Indulgentia, Remissioni sive peccatorum suorum consequenda frustrantur. Quam ob rem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis indies serpenti occurrere, Animarum profectui & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in Indicem referri curavit.*

**T**ALES imprimis sunt illae, ut asserunt, concessae à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus Orationem charitatis Jesu Christi Domini nostri, Precor te, piissime Domine &c. Ab Urbano II. Ecclesiae Sanctae Mariae ut vulgo dici solet, Compagnolae, & Sanctae Victoriae, ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero Jesu Christi factae S. Bernardo, ab Innocentio III. Archi-Confraternitati, & Ordini Redemptionis, à Bonifacio IX. visitantibus Capellam Sancti Nicolai de Tolentino in cujus Festo, à Joanne XXII. osculantibus mensuram plantae pedis Beatae Mariae Virginis, ab Alexandro VI. imagini Beatae Mariae, vulgo dictae Laghetti, à Leone X. gestantibus Funiculum Sancti Francisci, primum in Urbe impressae, deinde Mediolani anno 1663. suas tamen habent (& veras Confratres Archi-Confraternitatis Cordigerorum

rorum Sancti Francisci) recitantibus salutatio-  
nem Angelicam ad pulsum horologii, & ima-  
gini conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ  
in circulo depictæ cujus pedibus luna subiecta  
est, à Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum, à  
Clemente VIII. dicentibus Orationem, ô Mag-  
num Mysterium, & Ecclesiæ Sanctæ Mariæ,  
quam vocant, Montis Serrati, Avennione im-  
pressæ, tum aliæ pro Animabus Christi Fide-  
lium defunctorum impressæ Matriti 20. Julii  
1606. à Paulo V. cantantibus hymnum, te Ma-  
trem Dei laudamus, te Mariam Virg. confite-  
mur &c. Vel si die Sabbati intererint, cum  
idem canitur & Coronis, Rosariis, imagini-  
bus & numismatibus, quæ Medallas appellant,  
ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromæo  
supplicante Anno 1611. dum Ecclesia Romæ  
in honorem Sancti Caroli ædificaretur, & ab  
eodem Paulo & Gregorio XV. dicentibus, si  
lodato il Sanctissimo Sacramento, Laus Sanctis-  
simo Sacramento, ab Urbano VIII. in honorem  
ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Ma-  
galotti & Sacerdotibus, celebratâ Missâ, dicen-  
tibus, Ave Filia Dei Patris, Ave Mater, Dei Fi-  
lii &c. à Clemente X. recitantibus mane, me-  
ridie, ac vespere consuetam Antiphonam, An-  
gelus Domini &c. & in fine, Deo gratias &  
Mariæ, ac demum aliæ à nonnullis Romanis  
Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronæ Myste-  
riorum Passionis Domini nostri Jesu Christi pre-  
ce Magni Ducis Etruriæ.

Talis Indulgentia Sodalitatis Sancti Nicolai,  
quâ repetitâ quinquies Oratione Dominicâ, &  
Salutatione Angelicâ, unam liberari animam  
quolibet die à Purgatorii pœnis affirmant. Ta-  
les aliæ Perusii Confraternitatis Sanctorum Se-  
bastiani,

bastiani, & Rochi, & Romæ Societatis Sancti Bernardi ad columnam Trajani, tales Demum alia Crucesignatorum Sancti Eustorgi Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis sunt & illæ concessæ, ut ajunt, Cappellæ Rosarii in Ecclesia Sancti Antonii de Rovigo, seu Rodigii, vel Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis Bergomi aut Sancti Petri Montis Tondoni in die Inventionis Sanctissimæ Crucis, vel gestantibus funiculum Sancti Francisci de Paula, vel celebrantibus Missas Sancti Augustini, aut alias quinque in honorem quinque festivitatum Beatæ Virginis, vel recitantibus Officium Sanctæ Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam, ô Passio magna &c. in memoriam Passionis Jesu, aut Rosarium S. Annæ (quod congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut orationem, quæ impressa cum imagine S. Annæ Circumferri solet, Ave Gratia plena &c. (quæ Oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis Beatæ Virginis Immaculatæ, quod asserunt à Paulo V. probatum fuisse, aut orationem, Deus, qui nobis in Sancta Syndone &c. (excipitur Indulgentia centum dierum anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudia ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam Ave filia Dei &c. post communionem recitandam, vel aliquo conspicuo signo venerantibus SS. Eucharistiæ Sacramenti Nomen; Indulgentiæ rursus 80000. annorum veteri de Tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus Orationem illam verè piam. Deus qui pro Redemptione mundi &c. Tum quæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1670. sub hoc titulo, sommario delle Indulgenze concessæ della Santità di nostro Sig. Papa Leo-

ne

304 Pars 3. tr. 7. cap. 7 De Indulgentiis Mission.  
ne X. all' Imagine della concezzione della glo-  
riosa Virgine Maria, vel Pisauri sub nomine B.  
Joannæ, anno 1608. evulgatæ, vel Barletta,  
seu Baruli à recitantibus quædam, non sane  
malas Orationes, lucrandæ, vel Parmæ à visi-  
tantibus per quadragesimæ dies Ecclesias Tertii  
Ordinis S. Francisci, vel Pistorii, & Rastallæ à  
recitantibus Orationem, Ave Sanctissima Ma-  
ria, Mater Dei Regina Cœli &c. Et alia in  
peculiari libro impresso descriptæ, quibus frui  
dicunt devotos Seraphicos, & Benefactores.

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Ca-  
ravacensibus tributæ dicuntur, vel Coronæ seu  
Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ,  
quod ex duodecim globulis precariis constat,  
vel granis, crucibus, & Coronis Aloysiæ ab  
Ascensione Hispanæ Monialis Ordinis S. Claræ,  
vel mensuræ altitudinis Jesu Christi Domini  
nostri, vel imagini, aut mensuræ vulneris la-  
teri ejus inflictæ; vel orationi, ut ajunt, in se-  
pulchro Domini nostri repertæ, & Indulgenti-  
æ, ut ajunt, innixæ relevationi factæ Sanctis  
Brigitte, Mechtildi, & Elisabeth, vel B. Joan-  
næ de Cruce, & concessæ, ut asserunt, granis,  
quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extan-  
tibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum  
Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Mi-  
norum Observantiæ S. Francisci.

*Omnes vero, & singulas jam dictas Indulgentias  
Sacra Congregatio partim esse confictas, & plane fal-  
sas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nul-  
las, quæ nemini suffragari possunt; easque in futurum  
ullo loco, ut veras publicari, & lucrandas Christi fi-  
delibus proponi vetat; foliaque, & libros, ubi sic pro-  
ponuntur, seu asseruntur, omnino precipit aboleri, nisi  
predictæ Indulgentia fuerint diligenter expuncta; nec  
alio*

*Part 3. tit. 3. cap. 7. De Indulgentiis Mission. 305*  
*ideo tamen vult alias, quas hoc decretum non continet,*  
*pro veris, & legitimis, taciteque probatis haberi.*

Ac demum omnes Indulgentias concessas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1597. Coronis, granis, seu calculis, crucibus, & imaginibus Sacris, vel ante breve Pauli V. quod incipit Romanus Pontifex &c. editum 23. Maij 1606. personis regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium, quæcumque &c. & 68. Pauli V. incipientem, quæ salubriter &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archi-Confraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Jesu, Capitulo, vel Cætu quocumque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona etiam si eorum, vel ejus mentio specialis & individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis autoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, & momenti pariter declarat.

Porro Summa Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captivorum, nominis Dei, Rosarii B. Mariæ de mercede captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, Cincturæ S. Augustini & S. Monica, nisi ab eadem Congregatione recognita non permittuntur.

Indulgentias vero Stationum urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt, vel communicantur interdum aliquibus locis, ordinibus, aut personis, diebus tantum stationum, in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat:  
semel

305 Pars 3. tr. 3. cap. 7. De Indulgentiis Mission.  
semel autem dumtaxat in die Plenariam In-  
dulg. in certos dies Ecclesiam visitantibus con-  
cessam, vel aliud pium opus peragentibus lu-  
crificari.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctiss.  
cuncta Sanctitas sua probavit, & inviolatè servari ius-  
sit. Datum Romæ 7. Martii 1678. Aloysius Card. Ho-  
modeus. Loco ✠ Sigilli, Michael Angelus Riccius Secret.

Die 12. mensis Martii 1678. supradictum De-  
cretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curia  
in acie campi flore, ac aliis locis solitis, & consuetis  
Vrbis per me Rochum de Stephanis SS. Domini nostri  
Papæ Curf. Laurentius Segnus Magister Curforum.

### Nota.

Hic accuratè observandum, primò, cujus  
Temporis, Loci, aut Personarum, Indulgentiæ  
sint obrogatæ, ne aliæ quæ apparere possint illis  
similes, pro revocatis accipiantur. Secundò, ob-  
servandæ sunt clausulæ exceptivæ, quæ circa  
finem adduntur: *Nisi fuerint deinde Pontificis Ro-  
mani auctoritate innovata, aut confirmata: item:  
Nisi ab eadem Congregatione recognita non permittun-  
tur.* Possent enim ex illis quædam à sancta Se-  
de denuò confirmatæ, aut ritè recognitæ, suum  
valorem, & robur obtinuisse.

Edita est pridem Bulla à Sixto V. anno 1606.  
revocans Indulgentias Regularibus pro ipsis  
concessas, & novas earum loco substituens,  
quas accuratè refert, & explicat P. Matthæus  
de Moya in selectarum quæstionum parte altera  
recentiori, *disp. 4. quæst. 8.* Plura si quis scire ve-  
lit de hoc Authore virtute & doctrinâ celebri,  
& adhuc Serenissimæ Hispaniarum Reginae Ma-  
riæ Annæ à sacris Confessionibus, consulere  
po-

Paris 3. tr. 3. cap. 8 *Forma hæreticum reconcil.* 307  
poterit recentem Tractatum à Daniele Camp-  
fordo diligenter elaboratum.

## CAPUT VIII.

### *Praxis & forma Hæretico Ecclesie Catholica reconciliandi.*

**P**rimò, Si hæreticus, qui cupit reconciliari  
Ecclesie habeat justam causam dubitandi,  
an fuerit inter hæreticos validè baptizatus, de-  
bet ante omnia Baptismus illi sub conditione  
conferri, cum hac forma, Si non es baptizatus,  
ego te baptizo in nomine Patris &c.

Secundò, Si Sacerdos, qui hæreticum redu-  
cit, non habeat facultatem extraordinariam,  
quæ requiritur ad absolvendum ab hæresi, de-  
bet eum remittere ad Episcopum, vel alium qui  
tale privilegium habet, ut ab hæresi, & excom-  
municatione illi adjuncta absolvatur.

Tertiò, Debet instrui in punctis fidei, præ-  
sertim contentis in Symbolo Apostolorum, &  
in præcipuis articulis, in quibus antea disside-  
bat ab Ecclesia Romana: quos invenies expli-  
catis supra in parte 2. controversiarum fidei.

Quartò, Ante Confessionem Sacramenta-  
lem debet ab eo exigi Hæresis abjuratio, nun-  
cupando professionem Catholicæ fidei juxta  
formulam in Tridentino præscriptam, quam  
pro Confessarii commodo in hujus cap. sine  
subjiciemus.

Si is, qui reconciliatur, fuerit tantùm occul-  
tè hæreticus, sufficit dictam fidei professionem  
aut æquivalentem occultè præstare, cum vera  
contritione de sua hæresi, & firmo proposito  
non.